

quod mutatus circumstantiis non auerentur.

Ex pauperum inde damnis argumentum.

Et ex eo quia sic gabellipratu boni communitas.

Defensur in iustis, et oppositio responsio.

vt videri potest apud P. Lessium Lib. 2. Cap. 15. Dub. 2. & est apud alios obuium: vnde mutatis circumstantiis, solet pretium a Rege prescriptum non attenditur apud eundem videri potest n. 14. & tenent Mercadus, Iohannes, & Bartholomæus de Medina, & P. Filliucius apud Bonacinam Tomo 2. Dissut. 3. de Contractibus. Quæst. 2. Puncto 4. num. 7. P. Hurtadus Dissut. 2. de Contractibus Difficuli. 1. in fine. Et alij communiter.

205 Præterea. Aliunde videtur incongrua talis dispositio, quia cum diuitibus nihil officiat, pauperibus est nociua: illis enim papyri emptio parum curabitur, vt lites promoueat: isti autem ab eis desistent, ne euentus dubij multiplici papyri emptione grauentur: vnde & assequendi quod suum est, subsidio carebunt. Vbi dici nequit damnum hoc communis boni utilitate compensari, dum falsitatibus instrumentorum occurrunt. Nam circa falsitates iam dictum; & dubitari præterea potest quod damnum maius censeri debeat, aliqua instrumenta falsa confici, an pauperes suis bonis per iniuriam spoliari. Et licet pauperibus Regia sit benignitate prouisum, vt vidimus; id tamen non de omnibus pauperibus accipiendum, sed de illis, qui de solemnitate dicuntur, qui raro litigant; cum tamen alij copus habeant frequentissimè litigare.

206 Item. Graumen hoc gabellæ cuiusdam genus continet, vnde iubetur vt circa Ecclesiasticos & Religiosos nihil contra eorum agatur voluntatem; ne scilicet Ecclesiastica immunitas violetur. Videtur autem inconueniens vt prætextu publicæ utilitatis fisci negotium agatur, & quod, cum utilitas fisci præcipuum motuum sit, utilitas communis vt vnicum in Pragmatica exordio proponatur. Et quidem si communis utilitas tantum attenderetur, detractis expensis, de quibus iam dictum, nihil esset ultra requirendum: sicut neque a pauperibus Indis, ac Religiosis exigitur, & ab aliis Ecclesiasticis detrectantibus constitutum pretium solueret, vt videri apud citatum Escalonam potest §. 3. num. 12. Impositio autem cum propter publicam necessitatem esse debeat, iuxta dicta num. 190. non videtur iusta, nulla necessitatis reddita ratione, vnde nec videtur in conscientia obligare.

207 Nihilominus non debet vt iniqua talis Pragmatica condemnari, in qua probabiles rationes occurrunt, vt possit sustineri. Falsitatis enim, vt potest, per eandem occurritur: & si non omnia, aliqua publici statûs damna saltem euitantur. Et pretium quidem maius est quam esse deberet, expensarum habitâ ratione: quod tamen iustificari manifestius potest quoad papyrum primi signi: quia cum illa pro gratis & muneribus Regis, aut eius auctoritate impartitis deferuiat, potest illis Rex graumen illud, leuissimum sanè donatariis, imponere: vt scilicet in talis pretij papyro titulos sint, & non aliâs, accepturi: quemadmodum onus mediæ annatæ imponit, quod nequit iniustum reputari. Quoad papyrum autem signi quarti, dictum iam n. 204. Quoad tertij, excessus non est notabilis, & ita ob auctoritatem Regij signi potest illo digna duci, quando etiam stipendium est iis tribuendum, qui in eius distributione, venditione, & curis alijs circa eandem occupantur. Et ex multorum au-

thoritate etiam constat ex Regio signo monetæ valorem augeri, vt videri potest per citatos à Diana Parte 6. Tract. 8. Resolut. 1. §. Ad secundum, quod & ipse admittit quando excessus est modicus. Est autem eadem in papyro ratio. Restat ergo solum papyrus secundi signi, sex inquam regalium. Et hæc cum ad res momenti maioris adhibeatur, & rarior illius vsus sit, maiori pretio venit æstimanda, quia minus est hac ratione in illo graumen, estque bifolium, & ita quasi duæ chartæ, & duo signa, quorum auctoritas exigit, vt non vili pretio diuendantur. Sic ergo apparet pretio non esse excessum talem, vt manifesta in eo iniustitia, re attentius expensâ, valeat deprehendi. Quod verò de pauperibus dicebatur solum ex eo potest, quod licet aliquale in eo iniustitiæ videatur esse periculum, non est generaliter præsumendum; cum in litibus incerta iustitia sit; & etiam si facilis succurrat litigandi modus, potentiores armis validioribus certant, vt frequentius debeant infeliciorem litis exitum sibi pauperes ominari. Quod malum remedio caret. Quæ autem circa instrumentorum fidem versatur falsitas, perniciosissimum malum est, cum ex eorum fide totus ferè Reipublicæ status pendeat. Pro quo videri potest P. Fragolus Tomo 1. pag. 728. n. 295.

208 Iam quod ad vltimum spectat, negatur in hac dispositione genus aliquod gabellæ intercedere, quod ex dictis videtur sequi: cum tantum sit determinatio quorundam pretij circa rem bono publico conuenientem. Neque oppositum sequitur ex eo quod nolit Rex Ecclesiasticos ad vltum compelli; quia etiam si gabella non sit, est tamen lex minus congrua Ecclesiasticæ libertati, vt quæ onus imponat: ad has tamen Clerici non tenentur, vnde nec imponi illis potuit: vt videri potest apud Bonacinam Tomo 2. Dissut. 1. quæst. 1. Puncto 6. num. 29. Dianam Parte 1. Tract. 10. Resolut. 12. & Parte 6. Tract. 3. Resolut. 1. §. Resat modo. P. Palauum Tomo 1. Tract. 3. Dissut. 1. Puncto 24. §. 6. num. 6. & alios, qui licet fateantur Ecclesiasticos ligari legibus ciuilibus, exceptionem addunt oneris & præiudicij, quo libertas Ecclesiastica minuitur. Cum autem gabella non sit; neque etiam fuit opus necessitatem exprimi, quæ ad illam imponendam impulisset.

209 Ex dictis autem videtur cessare, quod ad factum atinet, quæstio illa, An Pragmatica ista sit contra Ecclesiasticam libertatem, si videlicet ad Ecclesiasticos extendatur. Cum enim eos Rex compelli vetet, quæstio in facto cessat. Si dicatur Regem suos admonere Proreges, vt opportuna vtentes industriâ curent papyrum signatam in statum Ecclesiasticum introducere, vt videri potest apud citatum Escalonam §. 3. n. 12. ex quo videtur sequi legem ex intentione eius ad prædictos extendi; nolle tamen circa eos rigore vti. Responderi potest id non sequi, sed onus istud ad laicos tantum dirigi, & neque indirectè Ecclesiasticos comprehendere, qui sponte illud subire possunt: non vt sponte obligationem subeant, sed vt semper illis integrum sit & voluntarij oneris supportatione desistere: est enim quasi donatiuum, quod Ecclesiasticis omnino licet: vnde & in gabellis idem contingere potest;

Valor pecunie ex Regio crescit signaculo.

Gabellam in papyri dispositione non esse.

Neque ad Ecclesiasticos extendi.

Neque oppositum ex verbis Pragmaticæ deduci.

Hæc posse ad eos expressè dirigi, pro quo Auctores, et rationes.

Ex obligatione seruandæ commune pretium a Rege impositum, non bene argui.

Quomodo illud Ecclesiasticos obliget explicatur.

Quid cum quorundam rerum monopolij constituitur, designatio pretij.

posset, nisi periculum esset in eo quod voluntaria præstatio in obligatoriam verteretur.

210 Si autem onus tale ita imponatur, vt ad Ecclesiasticos etiam extendi Regis voluntas sit, & ne aliter in eorum negotiis procedatur, libertati Ecclesiasticæ, iuxta nuper dicta, repugnaret: quod ex eorum doctrinâ colligitur, quos dudum adduximus, & aliorum apud ipsos: & ita in propriis terminis de papyro signatâ loquentes tenent Illustrissimus Araulo in 2.2. D. Thoma. Quæst. 95. Dissut. 3. Sect. 5. & Diana Resolut. 1. citata, it quâ multa adducit; quæ eò tendunt, vt ostendat esse gabellam: quo constante, illatio est manifesta, cum constet Ecclesiasticos ab illis esse prorsus eximios. Quia verò ex dictis responderi potest gabellam non esse; idè ad fundamentum aliud recurrendum; quod scilicet onus sit, & quidem non leue, ad quod nequeant Ecclesiastici compelli, vt citari tradunt, & apud eos alij, ac complures insuper apud Dianam Parte 6. Tract. 3. Resolut. 6. asserentes statuta laicorum non ligare Ecclesiasticos, quæ circa alienationem bonorum, contractus, & alia versantur, in quibus illis onus seu graumen imponitur, quod minimè gabellæ rationem habet. Pro quo & videnda multa apud eundem toto Tractatu illo, seu Apologetica disceptatione. Vnde si ponamus papyrum signatam eodem pretio, quo communis, Clericis tradi; si tamen ita compellantur eâ vti, vt non adhibita, nequeant in lite procedere, graumen erit contra illorum libertatem; quia ad id, quod aliâs ipsis erat licitum, compelluntur, iuxta dicta à nobis alibi: Vide Tir. 3. num. 109. & 110. & Tir. isto n. 142. & pro quo plures Auctores adducit Diana Resolut. 1. citata §. Sed hic minimè. Est ergo ratio oneris à ratione gabellæ diuersa.

211 Si dicas Ecclesiasticos teneri ad obseruandum rerum pretium à lege taxatum, vt est communis Scriptorum doctrina, de quâ citati num. 204. & ita etiam obligandos ad papyri signatæ pretium. Responso est facilis: Nam aliud est teneri ad pretium, si re aliquâ vti velint, aliud ad ipsius vltum obligari, quando aliunde haberi potest pretio viliori; in illo enim, vt communis legis seruatur æquitas, in hoc Ecclesiastica violatur libertas. Itaque si Clericus emar triticum ex communi horreo, taxatum debet pretium reddere per publicam potestatem: sed non tenetur absolute emere, si aliunde possit sibi prouidere, & sic de alijs. In nostro autem casu idem accidit: nam si Ecclesiasticus velit papyro signatâ vti, debet pretium pro se taxatum offerre: sed ad talem vltum nequit obligari, cum possit communi vti papyro, vt poterat ante Pragmaticam signaturæ. Quod si aliquando monopolium rerum quarundam fiat, pretio earum designato per publicam potestatem, vt de niue diximus Cap. 24. illud certè onus non est, sed commodum, vt ibidem ostensum. Si verò contingat monopolium non eam commoditatem respectu Ecclesiasticorum habere, sicut neque respectu aliorum, sed solum fisci, vt in chartulis piæctis; onus etiam reputari non debet, quia non versatur circa res ad communes vsus necessarias, sed quæ omnino sponte assumuntur, & ab Ecclesiasticis satius esset non assumi. Quod Diana cum

aliis bene aduertit supra §. Ad tertium. Si autem ex necessarijs sint, alia est ratio, vt videri apud eundem potest: quamuis si necessitas cogat, nec possit in venditione discrimen Ecclesiasticorum & laicorum commodè obseruari, probabile fit in eo lædi Ecclesiasticam libertatem, vt ex mente multorum dictum Titulo 3. numer. 112. Quæ cum ad Indias specialiter non spectent, à nobis delibata sufficiant, qui nonnulla alia minutiore prætereunda iudicamus, de quibus videri potest sæpius citatus Escalona, vt vno tandem satis quæstioso Regij ærarij compendio rem istam terminemus, pro quo fit

CAPVT XXVIII.

De Concessione Bullæ Cruciatæ & emolumentis Indicis, secundum specialia pro Indijs.

212 Vnt sanè in Indijs emolumenta Bullæ Cruciatæ permagna, cum eorum quantitas ad octingentorum millium ducatorum collectionem ascendat, vt testatur Dom. Solorzanus Tomo 2. Lib. 3. Cap. 25. num. 20. & in Politica pag. 717. Col. 1. qui multa de illa, sicut & D. Escalona in Gazophylacio Lib. 2. Parte 2. Cap. 34. Nos hic peculiariter quædam dilucemus, ex quibus fit

Bullæ cruciatæ promouentis qualis.

Primum, an transacto biennio, pro quo Bulla conceditur, si noua publicatio non fiat, præcedens valeat, aut possint que supersuerunt Bulla ex publicatione precedenti concedi.

212 C Asus accidit annis proximioribus: elapsum est enim biennium, & nouæ Bullæ desideratæ, de quarum certa transuentione notitia nulla succurrens, magnam peperit negotio in tanto confusionem. Pro deliberatione ergo consultatio habita, & Archiepiscopi Limani sententia requisita; & nonnulli quidem Bullam præcedentem valere censuerunt, sicut & in casu simili ante annos plures tenuerunt multi, vt testatur Dom. Solorzanus supra Cap. 25. num. 24. P. Henricij, Emmanuelis Roderici, & Antonij Gomecij sententiam secuti. Sed quia hoc alijs visum difficile, nouam Bullarum distributionem necessariam censuerunt; dixeruntque posse eas, quæ ex præcedenti publicatione supersuerant, impartiri; licet illæ ad biennium tantum fuerant destinatæ: sic enim de piâ potest mente præsumi Pontificis, ne fideles in regionibus adeo distantibus thesauro gratiarum adeo singulari priuentur. Quod & de Commissarij intentione pariter coniectandum, quæ Pontifici debet esse conformis, sicut & Regiæ. Cum enim negotium hoc tanti momenti sit, & adeo abundans Regijum interesse, illiusque tanta necessitas duris hisce temporibus; non est credendum vacationem istam sine fructu transire vllatenus volituros. Pro quo sunt vulgares doctrinæ de epicheiâ, coniecturis, præsumptionibus, ratihabitione, de quibus pleni tractatus Doctorum habentur. Præuoluit tamen negantium absolute consilium, qui

Casus specialis de capto biennio, nec Bullis adductis.

Valere acceptas quæ censentur.

Quæ supersuerunt posse distribui aliorum iudicium.

Negantia maior pars.

numero & auctoritate præcellant, in quibus & Illustrissimus fuit Archiepiscopus, testatus planè, si de procuracione ante nouarum Bullarum aduentum ageretur, illum se in Metropolitana sua Ecclesia minime permiffurum. Quod & Archiepiscopus Mexicanum pariter censuisse relatione accepimus, & pro eo acriter decertatum. Nihilominus in designato distributionis loco eam continuatam sine publicatione à testibus oculatis accepi. Et ego quidem cum postremis hisce pensatis, ratus contrarium solido fundamento destitutum.

Priorum de valore Bullæ ante biennium accepta sententia resellitur.

Tempus modicum esse debere, iuxta Auctores, qui id admittunt.

P. Henricus

213 Et quod ad sententiam eorum attinet, qui valere elapsi biennij Bullam asserunt, minime eorum est probanda doctrina, quæ auctoritatè Doctorum innititur, ex quibus contrarium potius deducendum. Licet enim dicant illi posse quem gratis Bullæ frui elapso tempore, ad fruitionem talem designato debere affirmant, ut videri potest apud P. Henriquez Lib. 7. de Indulgentiis Cap. 20. num. 2. verbis illis: Si elapso anno & paucis diebus, non promulgetur secunda Bulla, quam constat paullo post promulgandam. Pro quo in Glossa L. N. alios adducit. Emmanuel Rodericus à D. Solorzano etiam adductus oppositum omnino sentit, atque se non audere P. Henriquez sententiam amplecti. Vnde mirum est à præfato Scriptore pro contraria sententiâ citari. Neque Antonius Gomez aliter accipiendus, citatus etiam ab Scriptore præfato, si quidquam indulgeret: sed certè nihil apud ipsum tale, sed oppositum non obscure, dum ait, gratias Bullæ anno elapso cessare, nec sufficere intentionem illam sumendi. Videatur Cap. 5. circa 5. questionem n. 2. & circa quintam & sextam clausulam num. 1. & 2. Cum Emmanuele autem sentit P. Mendus in Bullam Cruciatæ Disput. 2. num. 7. & cum Patre Henriquez Ioannes Sancius in Selectis Disput. 55. num. 2. Villalobos Tract. 27. Clausula 4. num. 8. Trullench Lib. 1. Expositionis §. 1. Dub. 11. Ludouicus à Cruce in eadem Disput. 1. P. Escobar in Theologia morali Examine 17. Cap. 1. in fine. Qui tamen Tomo 1. Problematicarum Disquisitionum Lib. 7. num. 40. absolute asserit anno elapso expirare. Diana Parte 1. Tract. 11. Resolut. 91. & alij, qui generaliter paruum distantiam tantum admittunt, ita ut parum pro nihilo reputetur. Atqui in nostro casu distantia erat magna, ut non possit illi doctrina de anno Ecclesiastico pro obligatione Concessionis adaptari. Et P. Bardi in explicatione Bullæ Parte 1. Tract. 2. Cap. 6. Sect. 2. num. 32. rem exquisitius discutiens affirmat annum solarem ultra dies triginta quinque: maior enim annus Ecclesiasticus eum habet excessum, cum minor ille sit, in quo Pascha incidat die vigesima secundâ Martij: maior, in quo die 25. Aprilis. Quem dicendi modum impugnat P. Mendus in Tractatu Miscellan. Appendice Cap. 14. Sed ut id demus, etiam protensio illa in casu, de quo loquimur, suffragari nequit: quia maior fuit, & multo maior crederetur futura fuisset; re ipsa, nisi nauigium vnum aleæ periculosa expositum, fortunatum cursum habuisset.

Sicut generaliter ex quibus-

214 Nullum ergo in Auctoribus de Bullâ tractantibus pro illâ est sententiâ prædictam.

Nam vel annum Solarem esse existimant, aut Ecclesiasticum, vel saltem duos tresue dies extendi posse dicunt post nouam publicationem, ut videri potest apud P. Escobar supra loco prior: ex quibus nihil potest casui, de quo differimus, adæquari. Vnde ergo ita sentientes sententiam probant? Recurrendum sanè iis est ad communes illas doctrinas de coniecturis, & ratihabitione, & ita idem est illorum, atque aliorum fundamentum, & sic pariter refellendi. Quod ergo ad coniecturas attinet, epicheiam aut præsumptionem, satis infirmum est: nam stante formâ dispositâ ad gratiâ alicuius consecutionem, illi standum est, & contra eam nulla valet coniectura, aut interpretatio, nisi de concedentis constet voluntate. Voluntas enim per formâ appositionem ostenditur, vnde non potest nisi omnino verosimili contrariâ voluntatis significatione contra illam iudicari. Quod in grauibus negotiis præsertim obseruandum: per ea quæ adducit Marius Antoninus Lib. 1. Variarum Resolut. 11. numer. 4. & seqq. ubi quod in dubio forma censetur substantialis. In casu autem nostro Bulla conceditur expressâ formâ concessionis, quod per annum durare debeat, & in Indiis per biennium: ergo eâ non seruata actus corrumpitur. Iuxta quam regulam in aliis ad Bullam spectantibus proceditur, ut in eleemosynâ quantitate, in qualitate accipientium, in approbatione Confessarij, in visitatione altarium, ac similibus: verbis enim concessionis inficitur, & aliter factum iudicatur nullum ex prædicto fundamento; quod bene in casu speciali, de quo agimus, exornat & roborat Antonius Gomez supra.

215 Deinde. Forma concessionis quod per biennium duret, aliquomodo verificanda est, ita ut duratio ad biennium tantum extendatur. Rogo ergo quomodo in casu nostro verificari possit? Non quidem anni solaris computatione, neque Ecclesiastici, ut iam ostensum: ergo nullo modo. Quod autem verificatio requiratur, extra dubium est, quia ubi non conueniunt verba, nec conuenit dispositio l. 4. §. Toties. D. de damno infecto. Pro quo Nauarrus Lib. 3. Consilio 34. & Matthæus de Afflictis Decisione 355. n. 8. Si dicatur menti potius quam verbis standum: sic dicentes ostendere debent vnde illis sit mens explorata Pontificis, qui nusquam eam dispositioni suæ contrariam indicauit, ut sæpè accidit, & in Iure est obuium, in quo statuuntur multa, & statim adiiciuntur exceptiones per particulam Nisi. Ut videri potest in Cap. omnis vtriusque sexus, de penitentis & remissionibus, ubi verba illa post generalem dispositionem: Nisi forte de proprij Sacerdotis &c. similiter Cap. Si verò de sententia excommunicat. ibi: Nisi forte eundem Clericum &c. & alibi passim. Licet ergo pietas Pontificia magna sit, quia tamen certis est adstricta limitibus, non est ad ampliora petrahenda. Et quidem licet pietas magna præsumi debeat Bullam tamen Cruciatæ nisi ad Regum concessorum instantiam minime concessissent: quo euentu fideles in Indiis thesauro gratiarum istarum essent penitus destituti. Quando ergo illum concedit Pontifex, non iuxta generalem pietatem facienda est interpretatio, sed iuxta eam, quæ certis

uis sentiendi modis apud Auctores.

Epicheiam locum non habere, aut præsumptionem, contra formam præscriptam.

Vergetur ex eo quod biennij duratio nullo modo verificetur.

Ad Pontificis mentem non tantum esse perscrutandum.

Sicut ad illius pietatem.

Contra cuius voluntatem arbitriari Commissarius nequit, neque etiam Pars.

Neque ex ratihabitione argui posse.

Quæ de futuro ad confessiones non sufficit.

Illius certitudo.

Bullas quæ superflue sunt, non posse dici.

Rei dubie pretium non debet esse idem: & quæ tunc obligatio.

certis est limitationibus coarctata. Cum aliis constet Pontifices in concessionibus Bullæ difficiles se exhibere, & eam negasse nonnullos, existimantes id, quod ex eadem colligitur, in iis rebus, pro quibus conceditur, non expendi. Neque Commissarij voluntas alia debet præsumi, qui eo ipso quod Commissarius sit, qui commisit, conformem se debet exhibere. Neque aliter de Catholico Rege iudicandū, cuius voluntas nihil potest voluntati Pontificis contrarium operari, qui est primum mobile in hoc genere, ab omnibus aliis inspiciendum.

216 Iam quod ad ratihabitionem attinet, ex prædictis videtur sufficienter improbatum: sed est præterea contra illud instantia validissima. Nam ratihabitionem hæc non est de præfenti, cum in Pontifice nullum appareat de præfenti talis dispositionis indicium; de futuro autem nihil iuuat, quia illa est in quo per Bullam conceditur facultas eligendi Confessarium, qui ab omnibus positus peccatis absoluitur (exceptâ hæresi.) Ad iurisdictionem autem in foro penitentiarum non sufficit ratihabitione de futuro, ut communiter tradunt Doctores, qui videri possunt apud Bonacinam Tomo 1. Disput. 5. Quest. 7. Puncto 4. §. 1. num. 13. & 14. Dianam Parte 3. Tract. 4. Resolut. 68. & P. Gasparem Huradum Disput. 10. de Penitentia, Difficult. 5. Licet autem sint qui existimant ratihabitionem de futuro sufficere, qui videri possunt apud P. Filiucium Tractat. 7. cap. 9. num. 240. qui num. 242. affirmat eorum sententiam non carere probabilitate; licet ipse contrariam teneat eadem. Licet inquam sint, & sententia eorum aliquomodo probabilis; contraria tamen est probabilissima, & certissimam eam asserit P. Thomas Sancius Lib. 3. de Matrimonio, Disput. 35. num. 17. multos pro eadem adducens. Contra quam irrefragabili ratione, & grauissimorum scriptorum auctoritate munitam, ut vix iam sit contrarium tenens, non debet in grauissimo S. Cruciatæ Tribunali iudicari.

217 Restat ergo vt illorum iudicium, qui distributionem bullarum ex iis, quæ superflue fieri posse & debere existimant, efficaciter improbemus: estque id facile. Nam bullæ dictæ biennio tantum valiturae destinantur, vt in ipsis exprimitur. Quæ ergo veritate distribui possunt, vt illæ quæ pro sequenti biennio transmittuntur? Falsitas certè in re valde sacrâ, & momenti summi committitur. Item, quæ auctoritate id præstat Commissarius? Illi quidem commissa non est; recurrendum est ergo ad coniecturas & ratihabitionem, & ita in fundamentum deuoluitur iam à nobis infirmatum. Demus autem id esse probabile, sicut & prius: res certè dubia relinquatur. Quæ ergo ratione sustineri potest, vt populo tamquam res certa & indubitata tradatur cum onere contributionis id, quod valde dubium est, & minime ab eo admittendum, si dubium illi esse constitisset? In rebus sanè quæ vendi & emi solent, nequit pro vero tradi id, quod an sit tale dubitatur: vnde & obligatio restitutionis est, aut dissoluendi contractum. Est enim vitium rei secundum hominum estimationem, & illud debere derogari omnium sententia est: pro quâ videri potest Bonacina Tomo 2. Disputat. 1. de Contractibus, quasi. 2. Puncto 6. ubi de hoc specialiter agentes

adducit: & pro eodem extant alij complures. Præterquam quod contractus est nullus, quia inuoluntarius ob ignorantiam emptoris. Quod vt manifestius appareat, rogo sic distribuentes Bullas, an pecuniam, de quâ dubitaretur an esset legitima, ab accipientibus Bullas admitterent? Quis de hoc valeat vel leuiter suspicari? Ergo & quod tradunt explorata fidei sit oportet, alias contractus claudicabit: neque enim rationi congruit aut conuenit æquitati, alium Deum vel sibi, alium alteri, vt vulgaris habet loquendi vsus.

Evidens præsumptio.

Aliter in Tribunali supremo videtur iudicatum.

Ex quo saltem habetur publicacionis tempus non posse extendi, pro quo & Bulla iteratus tenor.

Difficultas magna circa declarationem, eo quod accipio non se habeat materialiter.

218 Et hæc cum mihi certa sint, audio à Tribunali supremo S. Cruciatæ rescriptum, posse in casibus talibus Bullas distribui, quæ ex dudum elapso biennio superflue sunt: eâ reddita ratione, quod valde materialiter se habeat ad gratiâ consecutionem distributio Bullarum, quandoquidem sine illâ stare posset, vt in Iubileis, & Indulgentiis contingit, quæ sine traditione aliquâ instrumenti cuiusquam obtinentur. Quod quidem, si ita est, reuerenter accipiendum: & ex eo saltem constat sententiam eorum, qui volebant Bullam posse ultra biennium protendi, nequaquam admittendam. Pro quo vterius addo expressam clausulam Bullæ, in quâ Pontifex ita loquitur: Expirante anno omnes prædictæ facultates, & gratiæ, & indulta expirent: tantumque poterunt casse pendentes ad finem perduci. Sic Paulus V. Urbanus VIII. & Innocentius X. quibus nihil dici clarius potuit. Quod autem de distributione, quæ fieri ex Bullis residuis possit, declaratum dicitur, valde videtur difficile: neque enim materiale quid censei potest, quod à Pontifice non est arbitrio Commissarij remissum, sed expressè decretum inuenitur: sic enim in citatâ Bullâ habetur: Item mandatur vt summarium hoc per omnes Christi fideles, ad prædictum bellum contribuentes, qui huiusmodi gratiarum participes esse voluerint, recipiantur, & retineantur: ne circa sibi concessas gratias errare, neue alij illas sibi usurpare possint, & unusquisque qua facultate eisdem gratijs & facultatibus utatur, docere valeat. Sic ibi. Vbi si dicatur ad notitiam gratiarum & reddendam rationem, sufficere Bullam, quæ traditur etiam ad annum præteritum spectet. Contra est: nam eâ ratione non erit necessarium illam dari habenti eam, quam pro biennio elapso recepit: quod tamen non admittitur, neque admitti potest: nam ex eo fieret pro omnibus concessionibus, saltem eiusdem Pontificis, non esse necessarium nisi vnicam Bullam accipere, & eam seruare ad effectum per Pontificem designatum, quandoquidem in omnibus idem tenor gratiarum continetur. Quod cum admitti nequeat, ex eo clarè apparet summationem distincti Summarij non se habere materialiter: vnde in eadem Bullâ sic etiam subditur: Ac vti idem omnes Christi fideles, non tantum semel, sed bis singulo quoque anno, quo idem summarium sumpturum, tam per se, quam per modum suffragij, &c. Vbi summarij acceptionem, tamquam rem ad substantiam concessionis omnino necessariam, Pontifex præsupponit.

219 His accedit, distributione factâ modo dicto, & aduenientibus postea Bullis, publicationem faciendam. Ex quo sequitur eos, qui acceperant, non futuros in suâ conscientia quietos,

Quæ augentur ex publicatione faciendâ Bullis aduenientibus.